vix aliquas curaret. Sed exiſtimo non eſſe ingratitudinem mortalem, ſed venialem in poſteriori caſu, etiamſi religioſus ille benefactorum ſemper immemor eſſet, ac in obſervantiis regularibus ita negligens, ut vix ullam curaret, quia non invenio ſpeciale gratitudinis præceptum ad ea ſub mortali obligans, ſed ſub ſolo veniali: atque id ſatis indicat *Cajetanus*, dum in poſteriori hoc caſu peccatum illud appellat ingratitudinem materialem. Extra hos autem caſus benè ait *Cajetanus* hunc eleemoſynarum uſum in religioſo otioſo, & deſiſtente à religioſis actibus, eſſe veniale ingratitudinis peccatum.

10 Hinc deducitur, religioſos hos minimè teneri, quæ ex eleemoſynis in proprios uſus conſumunt, reſtituere, tum quia non peccant contra juſtitiam, eo quod nullum pactum cum dantibus eleemoſynas ineatur, ac proinde nulla juſtitiæ obligatio conſurgat, ſed ſola gratitudinis, quæ vinculum reſtituendi adimperavit; tum etiam quod conferentium eleemoſynas intentio non ſit ingratis nihil donare. Atque ita docent *Cajet. eodem lib. 2. & Valentia eodem puncto 3. in fine, Angles d. q. 9. difficult. 3.*

11 Quinta concluſio. Non tantùm eſt licitum mendicare relinquentibus divitias, ut in religionem migrent, ſed etiam eas relinquentibus in ſæculo, paupertatem imitatione Chriſti eligendo. Ducor, quod hoc ſit optimum medium ad ſuperbiam exterminandam, atque paupertatem Chriſti imitandam: præterea, quia D. Hieronym. in Epiſtola ad Oceanum commendat Fabiolam, eo quod divitiis pro Chriſto effuſis optaret mendicare. Tandem idem probat factum Eliſæi 3. *Reg.* 19. quod commendat *D. Ambroſius 1. de officiis capit.* 30. & refertur *capit. Dominus dicto* 86. qui relictis omnibus, ut liberiùs diſciplinæ propheticæ vacaret, ex eleemoſynis vivebat. Atque ita docent *D. Thomas 2. 2. quæſt. 187. articol. 5. in corp.* Metina *Cod. de pœnitentia tractatu de eleemoſyna, quæſt. de eleemoſyna danda ſanis voluntariam paupertatem aſſumentibus. Navarrus comment. 2. num. 37. de regularibus, Ledeſma 2. part. 4. quæſt. 15. articol. 8. dub. 2.*

12 Sexta concluſio. Integrum quoque eſt divitibus retinendo divitias, induere ad tempus devotionis cauſa in aliqua peregrinatione perſonam pauperis, atque ex eleemoſynis ea emendicatis vivere. Quod probat uſus Eccleſiæ habentis, ut peregrinationes hæ vivendo ex eleemoſynis emendicatis, & in pœnitentiam ſacramentalem injungantur, & voto promittantur; cùm neutrum fieri poſſet, ſi id illicitum eſſet. Nec obſtat, hos peregrinos non eſſe verè pauperes, ſed divites, atque ita videri facto ipſo mentiri, profitendo mendicitate ſe pauperes, idque in verorum pauperum præjudicium; quia revera, dum hi abſque pecuniis peregrinantur mendicando, ſunt verè pauperes peregrini, ac proinde nec facto mentiuntur, nec eis eleemoſynis indigni ſunt. Atque ita docent *Cajetanus 2. 2. quæſt. 87. artic. 5. dub. 2. Navarrus comment. 2. numer. 37. de regularib. Angles floribus 1. part. tractatu de eleemoſyna quæſt. 8. difficultat. 1. Manuel qq. regularib. tom. 3. quæſt. 3. artic. 1. Valentia 2. 2. diſputat. 10. quæſt. 5. puncto 4.* Atque ob hanc cauſam ait *Navarr. ibi* à ſe innumeros divites excuſatos à culpa Compoſtellam ad Romam peregrinationem capeſſentes, aut utentes cibis, qui pauperibus peregrinis triduo alendis ſunt ibi deſtinati. Adduntque benè *Navarr. & Manuel ibidem cum Calderino* per ipſos allegato, hoc quoque Sacerdotibus licere: quod hic peregrinandi modus ſtatum eorum non dedeceat.

13 Septima concluſio. Quod ſi divites hi non cauſa peregrinandi mendicent, ſed habentes in promptu, quibus alantur, ex eleemoſynis emendicatis vivant, ut ſuperbiam frangant, carnemque doment, eſt ex ſe, & regulariter vituperabile, eò quod iis eleemoſynis veros pauperes defraudent, nec actus conſonet perſonæ. At poſſet eſſe laudabile ut in hoc caſu ſpeciali, quando aliter ſuperbiam exterminare nequirent. Atque ita docent *Cajetanus, & Valentia numero præcedenti* allegati. Additque benè *Valentia ex Cajetan.* teneri tunc hos divites eleemoſynas emendicatas veris pauperibus reſtituere, aut tantundem ex ſuis bonis erogare, quia verè non ſunt pauperes, ut juſtè eleemoſynas ſibi capere poſſint.

14 Octava concluſio. Licitum quoque eſt his divitibus emendicare, quando eleemoſynas illas, aut tantumdem de ſuis bonis erogant pauperibus. Quod actum propriæ abjectionis exercentes, quærant veris pauperibus eleemoſynas, quod re vera eſt non ſibi, ſed iis emendicare; & ita docent *Cajetanus, & Valentia* ibidem.

15 Nona concluſio. Mendicare cupiditatis aggregandi opes, & otioſitatis cauſa eſt vituperabile. Quia finis eſt malus, & vita otioſa eſt Reipublicæ noxia, atque adeò juſtè hi tamquam vagabundi puniuntur. Atque ita docent *D. Thom. 2. 2. quæſtion. 187. art. 5.* & ibi *Cajetan. dub. 2. Medina Ledeſma allegati num. 11. Angles, & Valentia allegati, num. 12. Manuel 1. tomo ſumm. in 2. edit. c. 202. in fine.*

16 Quod ſi petas, quale peccatum ſit ex hac cauſa mendicare; *Cajetanus eod. art. 5. dub. 3. & Manuel num. præcedenti* allegati dicunt eſſe veniale, ſi verè ille mendicans ſit pauper. Quod nullam injuriam irroget, ſed cupiditati, & otioſitati indulgeat; ſecus ſi verè eſſet dives, quia tunc fraudulenter eleemoſynas extorqueret. Sed priorem partem benè approbat *Valent. num. præced.* allegatus, quando finis eſſet divitias aggregare, nam id regulariter eſſet mortale, quia regulariter hoc fine mendicans habet animum petendi quoque eleemoſynas, poſtquam ſufficientem victum habuerit, ut ſic congreget divitias. Quare ratione hujus intentionis peccabit quoque moraliter, perinde ac ſi factus dives emendicaret, nec hoc eſt contra Cajetanum, qui loquutus eſt præcisè, & formaliter ex vi ſolius finis congerendi divitias. Quando autem hi divites reſtituere teneantur, & cui, pertinet ad tractatum de reſtitutione.

17 Id demum obſervandum eſt, non teneri divites ad eleemoſynas erogandas volentibus pauperem vitam imitatione Chriſti tranſigere, ſi nullis operibus in proximorum utilitatem vacent, ut confeſſionibus audiendis, concionibus, &c. Quia voluntarium eſt illis in ea paupertate vivere, & poſſunt operibus manuum ſuarum victum quærere, etſi divitias dimiſerint. Sic tradunt *Medina, Cod. de pœnitentia tractatu de eleemoſyna, quæſt. de eleemoſyna danda ſanis paupertatem voluntariam aſſumentibus. Ledeſma 2. part. qu. 15. art. 8. in fine.* Quod tamen intelligo verum, quando hi poſſunt nunc aliter vivere; ſi enim verè dimiſſis opibus ſunt jam pauperes, nec poſſunt operibus manuum ſuarum vivere, erit de ipſis eadem ratio, ac de aliis pauperibus.

CAPUT XXV.

Qualiter religio, aut religioſus ipſe, etſi ordinis Minorum ſit, capax ſit hæreditariæ ſucceſſionis ex teſtamento, vel ab inteſtato.

SUMMARIUM.

Exceptis Minoribus, & Capucinis poſſunt alii religioſi hæredes inſtitui, num. 1.

An mendicantes poſſint inſtitui, ut immobilia retineant? num. 2.

Quid de novitiis ordinis Minorum? num. 3.

Minores obſervantiæ, & Capucini ſunt incapaces hæreditariæ ſucceſſionis, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato num. 4.

An poſſint inſtitui per fideicommiſſum univerſale, ita ut ſi non valet jure teſtamenti, valeat jure codicilli, num. 5.

An ſi de facto inſtituantur fratres Minores hæredes, valeat teſtamentum, & ad quos hæreditas illa pertineat, num. 6.

An hi teneantur in foro conſcientiæ ſolvere æſtimationem fratribus Minoribus? Refertur quædam ſententia, num. 7.

Sententia auctoris; & quid importet dictio nullatenus, num. 8.

An ſi hæredes ſolvant æſtimationem fratribus Minoribus, poſſint hi accipere, num. 9.

An ſi inſtituantur hæredes fratres Minores *hac adjecta clauſula, ut hæreditas vendatur, & pretium in neceſſaria fratribus cedat, valeat inſtitutio? Refertur quædam ſententia, numer. 10.*

Explicatur ſententia auctoris, num. 11.

Quid ſi quis inſtituatur hæres cum onere, ut hæreditatis venditæ pretium convertat in fratrum Minorum uſum? num. 12.

An Eccleſia fratrum Minorum, *vel altare, vel* Guardianus *Eccleſiæ poſſit hæres inſtitui? Refertur quædam ſententia, nu. 13.*

Sententia auctoris, num. 14.

An valeat inſtitutio fratris Minoris gravati, ut alteri hæreditatem reſtituat? num. 15. Et ibidem remiſſivè, an ſi inſtituatur, & temporis mortis teſtatoris ſit capax, valeat; vel quid ſi tunc non erat frater Minor, *& poſt ſit frater Minor, vel tempore mortis ſit jam capax, vel inſtituatur in tempus, in quo dicitur, & eſt capax?*

An valeat conſuetudo, ut fratres Minores *immobilia, & redditus poſſideant, num. 16.*

Quis ſuccedat in bona fratrum Minorum, *qui ante profeſſionem non diſpoſuere? Referuntur variæ ſententiæ, num. 17. 18. 19. & 20.*

Explicatur ſententia auctoris, num. 21. 22.

Quis ſuccedat in bona, quæ fratres Minores *lucrantur poſt profeſſionem, & an ſit neceſſaria licentia Papæ, ut monaſterium his bonis utatur? Refertur quædam ſententia, num. 23.*

Sententia auctoris, num. 24.

1 NOn diſputamus de legatis, quia de his erit ſermo *capit. ſeq.* nec diſputamus de religioſis è Societate JESU, quia de his dicemus infrà: ſed de capacitate aliorum religioſorum, ut validè hæredes inſtituantur. Qua in re conſtat apud omnes poſſe non ſolùm monaſteria, ſed etiam ipſos religioſos, exceptis fratribus Minoribus de obſervantia, & Capucinis, hæredes à quolibet inſtitui, non ut ſibi acquirant, ſed monaſterio. Probatur ex *l. fin. §. hoc etiam C. de Epiſcopis, & clericis*, ubi decernitur, quoslibet tales religioſos eſſe ſucceſſionis capaces, ac proinde ſuccedere ex teſtamento, & ab inteſtato parentibus: nec poſſe exhæredari ab eis ratione ingratitudinis in ſæculo admiſſæ. Ergo ſunt etiam capaces cujuſcumque alterius ſucceſſionis hæreditariæ, ſi à quocumque hæredes inſtituantur. Quia ſi hæc ſucceſſio voto paupertatis repugnaret, idem eſſet de ſucceſſione paterna, ac proinde illius quoque incapaces eſſent. Id etiam conſtat ex *l. regia 2. titul. 3. part.* 6. ubi expreſsè deciditur, religioſum poſſe inſtitui hæredem, & tradunt *Jaſon auth. ingreſſi, nu. 18. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Bertrandus conſil. 206. numer. 5. & conſ. 73. numer. 2. in fine, volum. 3. in poſteriori parte. Nav. comment. 2. numer. 43. de regul. Julius Clarus* dicens nominem de hoc dubitare, *lib. 3. recept. §. teſtament. quæſt. 29. in fin. Spino ſpeculo teſtam. gloſ. 12. principali, à nu. 17. Molina tomo 1. de juſt. diſp. 140. col. 8. verſ. non ſolùm bona, & diſp. 154. paulò poſt princip. Manuel qq. reg. tomo 2. quæſt. 77. art. 1.*

2 Et quamquam olim controvertebatur inter DD. an reliqui mendicantes eſſent capaces hujus ſucceſſionis hæreditariæ reſpectu immobilium, ut ea retineant, & communis ſententia erat eſſe capaces, non ut ea retinerent, ſed ut venderent, pretiumque in utilitatem monaſterii expenderent. At poſt Trident. id illis conceſſum eſt non ſolùm, ut vendant, ſed etiam ut retineant immobilia bona, ne incommoda patiantur, quæ ex frequenti victus emendicatione ſolent ſuboriri, de quo non ſemel in hoc opere diximus.

3 Secundò etiam conſtat, novitios cujuſcumque ordinis Minorum poſſe hæredes inſtitui, ac ſuccedere in hæreditatem paternam ex teſtamento, & ab inteſtato. Quia ſola profeſſione redduntur incapaces, quam nondum emiſere; & affirmant *Bartol. tractat. Minoricarum, lib. 4. diſtinct. 1. c. 3. num. 3. Corduba in reg. D. Franciſci, c. 6. q. 11. puncto 1.*

4 Tertiò conſtat, etiam Minores de obſervantia profeſſos, & Capucinos, qui perfectè eorum regulam obſervant, & excipiuntur in *Trid. ſeſſ. 25. de regular. c. 3.* dum religioſis conceditur poſſe habere bona in communi, eſſe prorſus incapaces ſucceſſionis cujuſcumque hæreditariæ ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato. Atque eamdem incapacitatem habere quoque eorum monaſteria conſtat ex *Clement. exivi, §. cùm enim, de verb. ſignific.* ibi: *Quia igitur in ſucceſſionibus tranſit non ſolùm uſus rei, ſed etiam dominium ſuo tempore in hæredes, fratres autem prædicti nihil ſibi in ſpeciali acquirere, vel eorum ordini poſſunt etiam in communi; declarando dicimus, quod ſucceſſionum hujuſmodi, quæ etiam ex ſui natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia, & immobilia ſe extendunt, conſiderata ſui puritate voti nullatenus ſunt capaces*; & ita affirmant univerſi DD. allegandi. Quare minus benè *Franciſcus Aretinus*, qui refert, nec improbat *authent. de eccleſiaſticis titulis, §. ſi quis autem el 2. n. 8. & Angelus*, quos meritò cum Nicolao de Ubaldis reprehendit *Queſada in ſuis qq. variis, c. 22. n. 25.* dixere poſſe monachum Franciſcanum hæredem à parentibus inſtitui, nec eſſe incapacem, ſed admitti Eccleſiam Romanam in eam hæreditatem.

5 Quare nec per fideicommiſſum univerſale poſſunt hæredes inſtitui, ut ſi jubeat teſtator hærede inſtituto decedente hæreditatem devenire ad fratres Minores, quia univerſalis fideicommiſſarius eſt hæres, *l. qui quadringenta, & l. ſi filios, §. quod cum eo, ff. ad Trebellian.* Atque ita docent *Bart. tract. Minoricarum, lib. 1. diſt. 2. c. 1. Bald. auth. ingreſſi, n. 49. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Ancharanus Clement. exivi, nu. 8. de verb. ſignif. Jaſon l. 1. nu. 99. ff. de leg. 1. Corduba in reg. D. Franciſci, c. 6. q. 11. punct. 1. Duennas* alios referens *reg. 381. ampliat. 1. n. 1. Manuel qq. reg. tomo 2. q. 68. art. 2. verſ. en el* An verò poſſint inſtitui, ita ut ſi non valeat jure teſtamenti, valeat jure codicilli, & meliori modo quo poteſt? *Bart. tract. Minoricarum lib. 1. difficultate 2. c. 3. n. 15. & Roſella Sylveſt. verb. teſtament. 1.* dicunt valere inſtitutionem, quia quandò ob hæredis conditionem non tenet teſtamentum, hæc clauſula operatur fideicommiſſum, ac proinde ut hæredes, ad quos pervenit hæreditas, videantur rogati per fideicommiſſum reſtituere inſtituto. At dicendum eſt ſimiliter eos eſſe incapaces hujus inſtitutionis, quod effectus hujus clauſulæ ſit, ut convertatur inſtitutio in fideicommiſſum univerſale, cum quo habet ſimilitudinem, & non in fideicommiſſum particulare. At hi ſunt incapaces fideicommiſſi univerſalis; & fideicommiſſum particulare poteſt eis relinqui, ut bene *Jaſon, & Manuel ibid.* & conſtabit ex dicendis *cap. ſeq.* ubi de legato agemus.

6 Quod ſi de facto Minorum monaſterium, aut aliquis eorum hæres inſtituatur nullo ſubſtituto, aut cohærede ſignato, erit irritum teſtamentum, eo quod hæres capax inſtitutus non ſit, ac hæreditas pertinebit ad ſucceſſores ab inteſtato, *l. ſi in metallum, ff. de his, quæ pro non ſcriptis habentur, & l. 1. C. de hæred. inſtitut. & l. nec enim, ff. de re militari.* Si autem ſubſtitutus aliquis, aliuſve cohæres deſignatus ſit, valebit utique teſtamentum, ſubſtituto adeunte hæreditatem, ad quem priori loco illa pertinet vel adeunte cohærede, cui portio illa relicta Minoribus accreſcit: quando autem non eſt ſubſtitutus, ut ille non vult adire teſtamentum, erit nullum *l. 1. in princip. verſ. his itaque, Cod. de caduc. tollen.* Atque ita docent *Bart. tract. Minoricarum, lib. 1. diſt. 1. c. 2. Bald. auth. ingreſſi in nova edit. nu. 46. & 47. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. Alciatus conſ. 53. numer. 9. libr. 9. Roſella ſumm. verb. legare, num. 22. Sylv. verb. teſtamentum 1. quæſt. 6.* Camill. *Borellus* alios allegans *conſ. 17. à num. 13. uſque ad 18. vol. 1. Manuel qq. reg. tomo 2. q. 78. art. 3. & tomo 3. quæſt. 69. art. 10. Spino ſpecul. teſtament. gloſ. 12. principali num. 15. & 16. Sorbus in compendio privilegiorum Mendicantium verb. hæreditas, in ſuis annotationibus, initio.* Sed quatenus hi DD. tradunt teſtamentum fore nullum ſubſtituto, aut cohærede non inſtituto, aut illis non adeuntibus, verum dixere, attenro jure communi. Quippe attento hujus regni Caſtellæ jure erit ſolùm nullum quoad illius hæredis inſtitutionem; at quoad reliqua in eo contenta ſuſtinebitur, ut conſtat ex *l. 1. regia titul. 4. lib. 5. nova recopilat.* ubi deducitur ad valorem teſtamenti opus non eſſe hæredis inſtitutione, cujus contrarium jure communi cautum erat; & ſic benè *Molina tomo 1. de juſt. diſp. 154. ad finem.*

7 Sed circa hoc ſunt nonnullæ difficultates. Prima eſt, an hi hæredes ab inteſtato, aut ſubſtitutus, aut cohæres, ad quos pervenit dicta hæreditas relicta fratribus Minoribus inſtitutis, teneantur in foro conſcientiæ æſtimationem ejus ſolvere dictis fratribus. Quidam aſſerunt teneri venientes ab inteſtato, & cohæredes voluntatem defuncti ſollicitè inveſtigare, & ſi præmiſſa diligentia ſunt certi voluiſſe teſtatorem ſuum teſtamentum valere jure directo, ſcilicet teſtamenti tantùm, poſſe retinere in foro conſcientiæ. Quippe ea voluntas importat, ut hæres inſtitutus hæreditatem capiat ſuo jure à ſe ipſo, *l. ſed etſi ſub conditione, §. fin. ff. de hæred. inſtitut.* & ſi ipſe inſtitutus à ſe capere nequeat, ut alii, ad quos devenit, non teneatur ei reſtituere. At fratres Minores inſtituti hæredes ſunt incapaces ſuccedendi proprio jure. Si verò certi ſunt voluiſſe teſtatorem valere ſuum teſtamentum jure codicilli, & omni modo quo potuit valere, tunc tenentur reſtituere fratribus æſtimationem illius hæreditatis. Quia quando quis eſt incapax capiendæ rei ſibi relictæ abſque proprio delicto, ſed ob perſonæ conditionem, tenetur hæres ad æſtimationem *l. apud Julianum §. in fin. & l. ſeq. ff. de legat. 1.* ubi id communiter annotatur. Si autem neutrius certi eſſe valeant, nec ad alterutram partem animum applicent, ſed remaneant in eo, quod jus præſumit, poſſunt retinere. Quia tamen vix reperiretur quiſpiam nolens ſuum teſtamentum valere omni modo, quo meliùs poteſt, tutius eſt in foro conſcientiæ non retinere. Sic tradunt *Bart. tract. Minoricarum, lib. 1. diſt. 1. cap. 3. num. 7. & 8. & diſt. 2. cap. 3. num. 15.* dicitque ita ſenſiſſe multos magiſtros in Theologia, *Ancharanus reg. poſſeſſor malæ fidei, num. 19. de reg. jur. in 6. Roſella ſumm. verb. legare, n. 23. Sylv. verb. teſtamentum 1. qu. 6. Manuel qq. reg. tomo 3. q. 69. art. 10.* & idem tenet loquens de hæredibus ab inteſtato, dicens abſolutè eos teneri reſtituere hanc æſtimationem. *Alciat. conſ. 53. num. 9. libr. 9.* Subdunt autem *Bart. ead. diſt. 1. cap. 3. num. 8. & Roſella eodem, num. 23.* certum eſſe, ſubſtitutum non teneri ad eam reſtitutionem, quod voluntas teſtatoris ſignantis ſubſtitutum ea eſſe præſumitur, ut inſtituto non adeunte, eo quod non vult, aut non poteſt, ipſe ſubſtitutus admittatur *leg. cùm proponas, Cod. de hæredit. Inſtit.*

8 Cæterùm tenendum eſt, nullatenus teneri hos ad ſolvendam illius hæreditatis æſtimationem fratribus Minoribus, ſed poſſe tutiſſima conſcientia eam retinere. Ducor primò, quod forum externum nulli præſumptioni innitens, ſed ſoli veræ incapacitati hæredis inſtituti, ita judicabit. Ergo idem dicendum eſt in foro interno. Quippe utrumque minimè diſcrepat, quando iſtud nulla falſa præſumptione ducitur, ut probavimus *lib. 1. hujus tractatus c. 10. num. 18.* Et confirmatur, quia quando lex diſponit ſuper rem certam, & aliqua ratione ducitur, eſt juſta in foro conſcientiæ, & hæres eſt tutus, ut tradit *Bald. l. penult. §. illo enim unico, C. de neceſſariis ſervis hæredib.* & alii, quos refert, & ſequitur *Antonius Gomez tomo 1. variar. c. 12. num. 46.* Secundò, ex *Clem. exivi, de verb. ſignific.* cujus verba retulimus *nu. 4.* ibi: *nullatenus ſunt capaces*: ergo nec capaces erunt æſtimationis. Quippe unus percipiendæ ſucceſſionis modus eſt ejus æſtimationem recipere; argum. *l. ſi domus §. confitetur, ff. de legat. 3.* Si ergo fratres Minores nec hoc modo ſunt capaces, nec hæredes tenebuntur eis æſtimationem dare. Et confirmatur, quia dicto (*nullatenus*) inducit nullum eſſe actum ipſo jure ut ex multis probavimus *libr. 6. de matrim. diſp. 32. n. 7.* ac excludit omnem modum perveniendi ad rem prohibitam, ut optime tradunt *Gloſſ. Clem. 2. verb. nullo modo, ætate, & qualitate, & ibi Imola n. 19. & 33. Abbas c. non magnoperè, n. 5. ne clerici, vel monachi Navar. ſumm. c. 27. n. 201.* Atque nec conſenſus partium poteſt aliquid tunc in contrarium operari, ut tradunt *Imola in Clem. 2. n. 20. Felinus* multa cumulans *c. cum acceſſiſſent, nu. 7. & 8. de conſtitut.* Tandem, quia *n. 5.* probavimus hos fratres eſſe incapaces ſuccedendi, quamvis teſtator explicet velle ſe, ut teſtamentum valeat jure codicilli, & meliori modo quo poteſt, Ergo neque in hoc caſu tenentur hæredes æſtimationem eis ſolvere. Et ex his patet ſolutio rationis contrariæ; tunc enim hæredi incapaci non ex proprio delicto reddenda eſt æſtimatio, quando ille non eſt omnino incapax, qualiter ſunt fratres Minores. Et ideò hanc partem ſuſtinent *Bald. auth. ingreſſi, in nova edit. nu. 48. & 49. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Cardinalis conſ. 102. nu. 2. dub. 2. & Clem. exivi nu. 11. q. 2. & ibi Anchar. n. 8. de verb. ſignific. Gualdenſis de arte teſtandi, titul. 1. cautela 11. nu. 1. Duennas reg. 381. ampliat. 5. n. 5. Queſada qq. variis juris c. 22. nu. 16. Spino ſpeculo teſtamentorum gloſſ. 12. principali num. 15. & 16. Sorb. in compend. priv.* Mendicantium, *hæreditas, in ſuis annotationibus, verſic. ſed quibuſdam, Manuel qq. reg. tomo 2. q. 78. art. 2.* Et quamvis *art. 3.* dicat poſſe retinere hæredes hanc hæreditatem, niſi officio Judicis petatur; ſed ſtatim *artic. 4. init.* ſe explicat, dicens hæreditatem Minoribus relictam non poſſe peti officio Judicis, ſed legatum particulare: & faciunt *Felinus c. in præſentia, n. 50. de probationib. Barbatius c. tua nos, n. 10. de teſtament.* ubi dicunt Minoribus inſtitutis hæredibus perinde prorſus eſſe, ac ſi mortuus inſtitueretur: at mortuo inſtituto manifeſtum eſt hæredes, ad quos hæreditas pervenit, nil prorſus teneri reſti-

reſtituere. Et idem *Felin. ibi n. 52. verſ. 1. & Decius ibi*, *in nova edit. n. 269.* clare dicunt, Minores eſse incapaces ſucceſſionis, etiam quo ad hoc, ut eis debeatur æſtimatio. Pro eadem ſententia ſunt DD. quos *c. ſequenti* referemus, dicentes legatum Minoribus relictum, quando adjicitur modus eorum inſtituto contrarius, non deberi in foro conſcientiæ; & idem dicunt, quando res immobilis, cujus Minores non ſunt capaces, ipſis legatur.

9 Hinc deducitur, hæredibus volentibus ſolvere æſtimationem prædictam tanquam verè fratribus Minoribus debitam, non poſse fratres illam capere, quod verè debita non ſit. Atque ideo ſolutio illa non eſt voluntaria, utpote quæ ex errore procedit; & ita docent *Sorbus num. præced. allegatus*, *Manuel qq. reg. tomo 2. q. 78. art. 2.*

10 Secunda difficultas eſt, an fratribus Minoribus inſtitutis hæredibus adjecta clauſula, ut hæreditas vendatur, & in neceſſaria illis pretium cedat, valeat inſtitutio? Quidam ajunt inſtitutionem hanc non valere quo ad priorem partem, utpote quæ eſt perſonarum incapacium: valere tamen quo ad poſteriorem partem. Ducuntur, quia ſi teſtator omiſsa priori parte juſſiſset poſteriorem, valeret utique, ut dicemus *num. 12.* Sed hic concurrunt duo præcepta, prius inutile, poſterius autem utile, & unum poteſt ab altero ſeparari, ergo rejecto inutili, valebit utile, argum. *l. hæc ſcriptura ff. de cond. & demonſt. & l. quæ ſub conditione, quæ extrinſecus, ff. de condit. inſt.* Et ideo hanc partem ſuſtinent *Bart. tract. Minoricarum lib. 1. diſt. 5. c. 2. nu. 30. & 31. Imola l. Lucius, la ult. n. 4. ff. de hæredib. inſt. Guido Pap. deciſ. 327. nu. 1. & 2.* aitque ſe vidiſse ſemper ita obſervari, & ita judicari in illa Curia Parlamenti Delphin. *Sorb. in compend. priv. Mendicantium, verb. hæreditas, in annotationib. verſ. quæritur enim num poſſint Manuel qq. reg. tomo 2. q. 78. art. 4.*

11 Sed verior ſententia eſt, inſtitutionem prorſus non valere. Ducor primò, quia Pontifex *Clement. exivi, §. cùm enim, de verb. ſignificat.* dum fratres Minores omnino incapaces ſucceſſionis reddit, ſolùm conſiderat, jus hæredis quocumque modo ex natura ſua eſse univerſale, atque obligare hæredem ad onera hæreditati annexa; & illius transferre dominium, ſaltem brevi tempore; quæ omnia in hac inſtitutione reperiuntur, cum nullus alius hæres ſit præter ipſos fratres Minores inſtitutus. Secundò, quia etſi in ea inſtitutione ſit duplex præceptum, poſterius adjicitur tamquam modus priori acceſsorius; ergo deſtructo priori principali, quod irritum eſse conſtat, corruet quoque acceſsorium, arg. *l. alimenti §. Seja, ff. de aliment. legat.* Tertiò, quia etiam, uſu illo pio, ac licito non expreſso, intelligitur tacitè, ut expreſsè habetur *c. exiit §. & quia, & §. ſequenti verb. ſignif. in 6.* Sed eo modo non expreſso eſset irrita inſtitutio, ergo, & illo expreſso erit quoque irrita. Nec valet ſolutio Bartoli reſpondentis, etſi ad legatum ſufficiat tacita voluntas, ad inſtitutionem tamen hæredis exigi expreſſam, & ideo eo modo non expreſso, ſed tacitè intellecto corruere inſtitutionem, ſecus autem eo expreſso. Hæc (inquam) ſolutio non valet, quod favore piæ cauſæ inſtitutæ valeat inſtitutio ſolo nutu facta, ut tradit communior opinio, quam referunt, & ſequuntur *Tiraquellus de privileg. piæ cauſæ, privilegio 8. num. 1. & 3. Cavar. cap. cum tibi num. 6. de teſtamentis.* Quartò, quia ſi expreſsa pietatis cauſa efficit eam inſtitutionem validam, valebit quidem ea ſemper. Quippe in ea fratrum Minorum inſtitutione adeſt ſemper pietas, & ſolum corruit ratione incapacitatis inſtituti. Tandem, quia etſi ſingularia fratribus legata valeant modo licito in eis expreſso, ut conſtat ex *d. c. exiit, §. ad quia fratres*, diverſum tamen longè eſt in hæreditate, & jure univerſali. Quia univerſale hæreditatis jus ſemel in aliquo radicatum, nequit ab eo ſeparari, nec converti in aliquem materialem uſum, quamvis enim hæres totam hæreditatem vendat, ac diſſipet, manet ſemper hæres *l. Imperator, ff. ad Treb. l. & ſi lege, §. quod autem, ff. de petitione hæreditatis.* At fratres Minores ſunt hujus juris retinendi incapaces. Et ideo hanc ſententiam tuentur *Bal. auth. ingreſſi, in nova edit. à num. 50. uſque ad 53. C. de ſacroſ. Eccleſ. Card. conſ. 102. nu. 2. dub. 2. & Clem. exivi n. 22. quæſt. 2. de verb. ſign. & ibi Anch. num. 4. quæſt. 1. Felin. c. in præſentia, num. 52. verſ. 2. de probationib. & ibi Decius in nova edit. numer. 269. Montalb. l. 10. verb. ni à home tit. 5. lib. 3. fori Additionator ad Guidonem Pap. deciſ. 327. in fine. Gualdenſis de arte teſtandi, tit. 1. cautela 11. Anton. Gabriel in mea edit. tom. 3. communium opinionum concl. 1. n. 1. 3. & 4. Duenas* alios referens *reg. 381. ampliat. 8. num. 8.* explicans, ſive hæreditas illa ſit opulenta, ſive modica. Quod *Clem. exivi, §. cupientes verſ. ne liceat eis*, diſtinguens an magni valoris, an parvi ſit res Minoribus relicta, loquitur in legatis, *Corduba in reg. D. Franciſci c. 6. qu. puncto 1.* Atque ejuſdem etiam ſententiæ ſunt clarè communiter DD. eam inter fratres Minores, & reliquos Mendicantes differentiam attento jure antiquo agnoſcentes, ut hi eſſent capaces ſuccedendi in bona immobilia, non ut retineant, ſed ut vendant, & pretium in proprias neceſſitates expendant, illi autem eſſent utriuſque incapaces. Hi ſunt *Felin. eo capit. in præſentia, numer. 51. & 52. & ibi Decius in nova edit. numer. 270. Berojus numer. 540. Pariſius numer. 180. idem Decius conſil. 499. numer. 5. volum. 4. Guillelmus Benedictus capit. Raynutius, verb. & uxorem, in princip. numero 217. de teſtamentis. Ubald. de ſucceſſione ab inteſtato*, ubi de ſucceſſione regularium, *part. 2. num. 6. Julius Clarus lib. 3. receptarum, §. teſtamentum q. 29. nu. 3.* & paſſim diſcrimen hoc tradunt Doctores.

12 Quod ſi non ipſi Minores inſtituantur hæredes, ſed alius cum eo onere, ut hæreditatem vendat, ac precium in fratrum neceſſitatem convertat, abſque dubio valeret. Quia tunc fratres hi non ſuccedunt in aliquod defuncti jus, nec ſunt veri hæredes, ac proinde nec in eos tranſeunt onera hæreditati annexa. Atque ita tradunt *Cardinalis ea Clement. exivi, n. 11. q. 2. Ant. Gabriel ead. concl. 1. nu. 4. Corduba eod. puncto 1. Sorbus in compendio privil. Mendicantium, verb. hæreditas, in ſuis annotat. verſ. ſi autem fratres, Manuel qq. reg. tom. 2. qu. 78. art. 4. in fine. Leonardus lib. 2. de juſtit. c. 19. dub. 5. nu. 54.* De limitatione autem, quam apponunt *Sorbus, & Manuel*, nempe dummodo quantitas ſit moderata, videbimus *cap. ſequenti.*

13 Tertia difficultas eſt, an Eccleſia fratrum Minorum poſſit hæres inſtitui? Affirmant *Bartol. tract. Minoriarum, lib. 1. diſtinct. 4. c. 1. n. 20. & l. civitatibus 125. in princ. n. 1. & 3. ff. de legat. 1. Abbas conſ. 63. n. 4. lib. 2. Antonius Cucus, lib. 3. inſtit. majorum, tit. 1. num. 37. Manuel qq. reg. tomo 2. qu. 78. art. 5.* & dicit eſſe ſatis probabile *Sorbus in compendio privileg. Mendicantium, verb. hæreditas, in ſuis annotat. verſ. ſed cum fratres.* Ducuntur, quod Eccleſia verè hujus inſtitutionis capax ſit, ſed Eccleſia fratrum Minorum eſt de jure, & proprietate Eccleſiæ Romanæ, ut habetur *Clement. exivi, de verbor. ſignif.* ergo hæreditas illi relicta valet, tanquam relicta capaci. Atque idem dicit *Bart. eodem lib. diſtinct. 6. cap. 6.* ſi inſtituatur altare fratrum Minorum, aut Guardianus Eccleſiæ, vel altaris fratrum Minorum, quamvis ille Guardianus eſſet fratres Minor: ſecus, inquit *c. 2.* ſi inſtituatur Guardianus fratrum Minorum. Quia in priori caſu eſt perinde ac inſtitui Eccleſiam fratrum Minorum, quæ inſtitutionis hujuſmodi eſt capax: in poſteriori autem eſt inſtitui conventum fratrum Minorum, qui incapax eſt. Atque de cuſtode altaris tenet idem *Bald. c. decernimus, n. 13. verſ. quæro nunquid laicus, de judiciis.*

14 At verius eſt, nec eam fratrum Minorum Eccleſiam poſſe validè hæredem inſtitui, quia Eccleſia religionis fratrum Minorum non ſuccedit in bona, in ea profitentium, nec de illis antea diſponentium, nec Eccleſia Romana, ſed hæredes ab inteſtato, ut dicemus infrà. Ergo neutra Eccleſia ſuccedit alicui ex inſtitutione in teſtamento. Quia æqua eſt utriuſque ratio; cùm ideo non ſuccedat in illa bona, quod medium ſit incapax, nempe profitens in ordine Minorum. Et confirmatur, quia ideo Eccleſiæ Romanæ acquiritur legatum licitè relictum fratribus Minoribus, quod illius legati capaces ſint. Ergo cùm ſucceſſionis hæreditariæ ſint incapaces, eam non acquirent Eccleſiæ Romanæ, quippe illi acquiri debet medio organo capaci. Et ideo hanc ſententiam tuentur *Bart.* ſe expreſsè retractas *l. unic. in fine de conductoribum, lib. 11. & ibi Platea in fine Jacob. Rebuffus ibi n. 4. Bald.* dicens priorem ſententiam eſſe falſam *authent. ingreſſi, in nova edit. n. 55. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Ancharanus Clem. exivi n. 4. & 7. de verb. ſignific. Joan. de Lignanol, Capra, Troyus*, quos refert, & ſequitur *Queſada in ſuis qq. juris c. 22. n. 19. Angelus auth. de eccleſiaſticis titulis, §. ſi quis autem el 2. nu. 8. & auth. ut determinatus ſit numerus, in princ. n. 1. Ant. Gabriel. in mea dit. tomo 3. commun. opinionum tit. de hæredib. inſtituend. concl. 1. n. 2. Montalbus l. 10. verb. ni à home tit. 5. l. 3. fori Serenæ conſcientiæ qu. 17. Corduba in reg. D. Franciſci, c. 6. qu. 11. punct. 1. Sorbus n. præced. alleg. Azor. tomo 1. inſt. moral. l. 12. c. 23. q. 15.* Quare eadem ratione minus verum eſt, poſſe inſtitui altare Minorum, ut bene reprobant *Bald. & Ancharan. ibid.* Nec poteſt directè, nec per fideicommiſſum, aut via ſubſtitutionis inſtitui, ut bene ait *Sorbus*, ſicut ne ipſi fratres Minores poſſunt aliquo ex his modis inſtitui.

15 Quarta difficultas eſt, an ſi fratre Minor inſtituatur hæres, graveturque de hæreditate reſtituenda cuidam tertio, cogatur, aut poſſit adire, ut hæreditatem reſtituat? Anſam dubitandi præbet, *l. cogi. 16. §. ſi qui ſolidum, ff. ad Trebell.* ibi; *Si qui ſolidum capere non poſſunt ex eſſe hæredes inſtitui, & rogati ſolidum reſtituere, adire hæreditatem, & reſtituere cogentur, cum nil ſit oneris apud eos remanſurum.* Ubi *Gl. verb. oneris*, explicat, id eſt, emolumenti, *leg. nam quod 14. §. qui compulſus ff. ad Trebell.* ibi; *Qui compulſus hæreditatem adiit, ſicut cæteris commodis caret, ita hoc quoque caſu caret ne poſſit pœnitendo quartam retinere.* Breviter dico, quamvis in reliquis ſuccedendi incapacibus ſit ſpecialis difficultas, de qua agunt DD. cum *Gloſſ. leg. eam quam. 14. Cod. de fideicommiſſis*, & ſpecialiter eſt conſulendus ibi *Padilla à numero 121.* at quando quiſpiam eſt incapax ratione mortis pluſquam civilis, qualis eſt frater Minor, nequeat adire. Quia caret nomine, & quovis principio, ut ſi hæres, & omnia, quæ in jure conſiſtunt, ſunt illi interdicta. Quare inſtitutio habetur pro non ſcripta, perinde ac ſi homo mortuus inſtitueretur. Et ita docent *Bald. ead. l. eam quam, num. 18. Queſada d. c. 22. num. 17. Corduba cap. 6. reg. qu. 11. punct. 2. paulo poſt principium.* Quid autem ſi frater Minor inſtituatur hæres, & tempore mortis teſtatoris ſit capax, an valeat? vel quid ſi tunc non erat frater Minor, vel poſt ſit frater Minor, vel jam capax ſit tempore mortis, vel inſtituatur in tempus, in quo erit capax, dicemus infrà, ubi de tranſitu religioſi ab una religione in alteram egerimus.

16 Quinta difficultas eſt, an conſuetudine induci valeat, ut fratres Minores bona immobilia in communi poſſideant? Et quidem, ſi de aliis Mendicantibus ſit ſermo, in quibus hoc non ex voto, ſed ex ſuis conſtitutionibus eſt interdictum, conſtat poſſe id conſuetudine induci. Quia hæc poteſt derogare juri eccleſiaſtico generali, nedum privatis horum conſtitutionibus. Atque ita docet *Abbas conſ. 27. in fine volum. 1. Ancharanus conſil. 56. n. 6. & 7. Azor* latiùs probans *tomo 1. inſtitut. moral. lib. 12. c. 23. q. 8.* nec de hoc aliquis dubitat. At quoad fratres Minores videtur id non poſſe fieri. Quia, ut optimè ait *Azor ea q. 8. in fine*, conſuetudo vim habere nequit contra promiſſa ſubſtantialibus religionis votis, cùm ea jure naturali divino obligent, adversùs quod nullæ ſunt conſuetudinis vires. At paupertas ſolemni voto à fratribus Minoribus promiſſa eſt, ut nec in communi, nec in particulari dominium alicujus rei habeant. Et ita hanc partem ſuſtinent *Fulgoſ. conſ. 150. ad finem verſicul. non obſtat. Cephalus conſ. 98. n. 4. vol. 1. Queſada in ſuis queſtionibus variis, c. 22. num. 16.* & ſatis innuit *Ancharanus eo conſ. 56. nu. 6.* an valeret conſuetudo, ut acquirere poſſint immobilia quo ad uſum, non ut ea retineant, ſed ut vendant, ut bene docent *Nicolaus de Ubaldis de ſucceſſione ab inteſtato*, ubi de ſucceſſione regularium, *p. 2. n. 6.* Quia etſi capere immobilia, ut retineant, ſit contra paupertatem ab ipſi promiſſam non tamen ei adverſatur, ea capere vendenda ad convertendum pretium in proprios uſus. Verùm re hac bene perpenſa, exiſtimo probabilius eſſe, poſſe conſuetudine legitimè præſcripta induci, ut fratres Minores habeant bona immobilia in communi. Ducor, quod ipſi non expreſsè voto paupertatis promittant ſe non habituros bona hæc in communi, ſed ſolam paupertatem promittant juxta ſuas conſtitutiones. Cùm ergo conſuetudo poſſit derogare conſtitutionibus illis tanquam jure humano inductis, poterit inducere, ut nec paupertas illa excludat habere bona immobilia in communi; qui enim vovet, vel jurat ſervare aliquam conſtitutionem, tandiu tenetur illam ſervare, quandium conſuetudine non eſt abrogata. Item, quia jus eccleſiaſticum hoc potuit inducere, ſicut potuit in reliquis Mendicantibus; nempe hoc non eſt contra paupertatem ex ſe, ſiquidem reliquæ religiones vovent paupertatem, & poſſunt hæc immobilia poſſidere: ſed eſt contra modum paupertatis conſtitutionibus præſcriptum. Ergo conſuetudo ad hoc ſatis eſt.

17 Ultima difficultas eſt, quis ſuccedat in bona, quæ fratres Minores habebant, quando ipſi ante profeſſionem non diſpoſuere? Qua in re ſunt variæ ſententiæ. Prima dicit ſuccedere Eccleſiam Romanam, quia ex natura profeſſionis fratres Minores dedicant ſe, & ſua religioni; at quia ea eſt incapax, acquirentur ea bona Eccleſiæ Romanæ, cui ordo Minorum ſubeſt. Sic *Jacobus de Arena l. fin. numer. 6. C. de Epiſc. & cleric. Signorolus authent. ingreſſi, numer. 8. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Angelus ſumma verb. monaſterium, numer. 5. & Jacobus Butrigarius authent. ſi qua mulier oppoſit. 1. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* dicit poſſe ad libitum teneri, acquiri Eccleſiæ Romanæ, aut venientibus ab inteſtato, & *Bellamera, c. in præſentia, numer. 20. de probationibus* relinquit dubium cogitandum, an Eccleſiæ Romanæ, an potiùs venientibus ab inteſtato acquirantur.

18 Secunda ſententia ait acquiri Cameræ Epiſcopali. Hanc referunt, & videntur ſequi, eo quod illam referunt in ultimo loco, *Innocentius, cap. in præſentia, numer. 6. de prob. & ibi Hoſtienſ. num. 6. Anchar. num. 23.*

19 Tertia ſententia docet, bona hæc haberi quaſi derelicta, & ideo fore primi occupantis. Hanc refert *Innocent. n. præcedenti* allegatus fuiſſe aliquorum.

20 Quarta ſententia tenet, ſuccedere in ea monaſterium, excluſis hæredibus ab inteſtato, quod debet ea vendere, ut in proprias neceſſitates expendat. Sic tenet *Speculator tit. de ſtatu monachorum §. unico num. 7. q. 3.* & loquens de uſufructu, quem frater Minor habebat in ſæculo, tenet *Guido Pap. deciſ. 545. numer. unic.* Atque *Armilla verb. hæreditas, numer. 8.* dicit ſe credere, habere fratres Minores privilegium ſuccedendi in hæc bona, & *Tabiena ibi q. 12. num. 13.* dicit fortè illos habere hoc privilegium, & idem *verb. legatum 1. q. 4. n. 5. in fin.* ait fratres Minores privilegium habendi bona ſtabilia, ac ea Bononiæ, ac pleriſque aliis in locis habere. Et poteſt probari, quia Sixtus V. id indulſit fratribus Minoribus, ut refert compendium Mendicantium *verb. hæreditas §. 3.* & Clemens IV. ut refert *Manuel qq. reg. c. 2. q. 78. art. 6.* Sed dic privilegium hoc non intelligi de fratribus Minoribus obſervantiæ, ut ab eodem Sixto, & aliis Pontificibus eſt declaratum, ut docent compendium Mendicantium, & *Manuel ibidem, & Corduba in reg. D. Franciſci, c. 6. q. 71. puncto 1.*

21 Ultima, & veriſſima ſententia eſt, ſuccedere hæredes ab inteſtato. Ratio eſt, quia cùm hi per profeſſionem ſe ſpolient omni dominio, & poſſeſſione, nec tranſeant hæc in monaſterium, utpotè quod eſt cujuslibet ſucceſſionis ex teſtamento, & ab inteſtato incapax, ut diximus, *n. 4.* ſequitur, ut ea ad hæredes ab inteſtato illius profeſſi devolvenda ſint, ne domino deſtituta maneant, perinde ac devolveretur, ſi ille ante profeſſionem inteſtatus in ſæculo obiret. Et ideo hanc ſuſtinent *Archidiacon. cap. quia ingredientibus 19. quæſt. 3. num. 2. Federicus conſ. 26. num. 1. Bartol. tract. Minoricarum, lib. 4. diſt. 1. cap. 1. & 2. Anton. cap. in præſentia, numer. 25. ad fin. de probat. & ibi Abb. numer. 62. Cardinalis ad fin. Decius in nova edit. numer. 266. Pariſius, numer. 174. Felin. numer. 50. Imola, numer. 21. Berojus, numer. 539. Mantua, numer. 74. Henriq. numer. 14. Bald. auth. ingreſſi in nova edit. numer. 38. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ibi Paulus, num. 4. Salycetus in fin. Jaſon. in fin. Additionator ad Bartol. num. 11. verb. fratrum Minorum. Idem Salycetus auth. ingreſſi, numer. 3. oppoſit. 6. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ibi Jaſon numer. 24. Imol. l. 1. num. 18. ff. de teſtamentis. Decius cap. 2. in nova editione, numer. 91. de judiciis, & conſ. 499. numer. 5. vol. 4. Romanus ſingulari 439. num. 1. & conſ. 296. num. 7. Francus rubr. de teſtamentis in 6. num. 68. Roſellus d. auth. ingreſſi, num. 23. Alexand. l. ſi quis mihi 25. ſervus, num. 6. ff. de acquirend. hæredit. Fortunius l. gallus, §. & quid ſi tantùm, num. 73. ff. de lib. & poſth.* & ibi *Crottus num. 27. Ruinus, num. 4. Nicolaus de Ubaldis de ſucceſſ. ab inteſt.* ubi de ſucceſſione regularium *p. 2. numer. 9. Redoanus de ſpoliis eccl. q. 8. in princip. numer. 28. Guillelm. Benedictus c. Raynutius, verb. & uxorem, in princip. num. 25. & deciſ. 2. in fin. Gratus conſ. 68. num. 13. vol. 1. Montalbus lib. 10. verb. ni a home, tit. 5. lib. 3. fori. Angelus verb. hæres, num. 13. Sylv. verb. hæreditas 1. q. 7. num. 10. dicto 5.* Quamvis enim hi duo videantur contrarium ſentire, limitant enim hoc, niſi imploratione officii Judicis vellent dicta bona vendere & in ſuas neceſſitates convertere, tunc enim dicunt eos ſucceſſuros: verùm uterque addit (ut dictum eſt.) Atque idem *Angelus verb. hæreditas, num. 17.* ad quem locum ſe remittit, & idem *Sylv. eadem q. 7. numer. 10. dicto 1.* dixerant hoc, nempe poſſe dicta bona capere, ut vendant, non habere verum in fratribus Minoribus, ſed in aliis Mendicantibus, *Julius Clarus, lib. 3. receptar. §. teſtamentum, q. 28. n. 7. Angelo de melioration. l. 1. gl. 3. numer. 22. Villalobos in ſuis communib. opinionibus litera M. verb. monachus, n. 182. Aſcanius Clemens de patria poteſtate cap. ult. num. 75. Armilla verb. hæreditas, num. 19. Tabiena verb. hæres q. 9. num. 10. Lælius Zecchius de Repub. Chriſt. tit. de regula c. 3. num. 14. limitat. 9. Leonardus lib. 2. de juſt. c. 41. dub. 10. numer. 86. Sorbus in compend. privileg. Mendicantium, verb. hæreditas, in ſuis annotationibus, §. penult. Rebellus tractat. de juſt. 2. p. lib. 1. q. 8. ſect. 5. num. 51. Molina tom. 1. de juſt. diſp. 139. col. 3. verſ. tam profeſſi, & diſp. 140. initio.* Limitationem verò, quam nonnulli DD. ex his citatis adhibent; videlicet, niſi eſſent illis bona relicta ſub conditione, ut ſi deceſſerint ſine liberis, reſtituantur, quia tunc videntur ſuccedere pauperes, videre poteris in illis, quæ ad *cap. in præſentia* ipſi tradunt.

22 Succedent autem hæredes ab inteſtato in prædicta bona ab ipſo profeſſionis die in ordine Minorum, quia ea profeſſio eſt tamquam mors naturalis; & ita docent *Baldus, Paulus, Salycetus, Decius, Pariſius Nicolaus de Ubaldis, Jul. Clarus, Redoanus allegati n. præced.*

23 Sed quid dicendum de bonis, quæ acquirit frater Minor poſt profeſſionem, ut donatione, legato, ſuis operis? Videntur enim ea monaſterio non acquiri ex *cap. exivi, §. ad hæc cum fratres, de verbor. ſignificat. in 6.* ibi; *Ad hæc cùm fratres ipſi nil ſibi ſpeciali acquirere, vel eorum ordini poſſint etiam in communi.* Pro qua parte ſunt *Ricardus 4. dict. 45. art. 4. quæſt. 2. & Azor tom. 1. inſtit. moralium lib. 12. cap. 10. quæſtione fin.* ubi dicunt legatum relictum monacho acquiri religioni, quando eſt ſuccedendi capax. Atque expreſſiùs *Nav. lib 3. conſ. tit. de regu. in priori edit. toto conſ. 73. in poſteriori, toto conſ. 85.* ubi ait, fratrem Minorem apoſtatam multa ſuis operis comparantem nihil acquirere monaſterio, ſed Sedi Apoſtolicæ, cui acquiruntur fratribus Minoribus relicta; ac proinde Prælatum Minorum debere hoc manifeſtare Pontifici, ut diſponat an in conventus uſum, an in alium ea bona convertenda ſint; & *Bertrandus conſ. 227. num. 5. vol. 7.* tenet expreſsè non ea acquirere fratres Minores ſuo monaſterio, etiamſi propria induſtria acquirant.

24 Ceterùm dicendum eſt, ea acquiri immediatè monaſterio quoad uſum, & commoditatem, ſicut in aliis religionibus acquiruntur religioni quoad dominium. Quod bene tradunt *Federicus conſ. 12. n. 3. Antonius c. in præſentia, n. 25. de probationibus, Abb. conſ. 63. numer. 6. lib. 2. Molina tom. 1. de juſt. diſput. 140. col. 13. verſi contrà verò, & col. 12. verſ. idem dicendum eſt, Leonardus lib. 2. de juſt. c. 41. dub. 11. num. 88.* Nec obſtat textus in contrarium adductus: quia intelligit hos nihil acquirere quoad dominium monaſterio, eo quod incapax quoque dominij ſit; & imo ſtatim ſubdit ille textus, cui acquiratur dominium. At hoc non impedit commoditatem, & uſum illius rei acquiri monaſterio: & hoc idem ſignificant DD. in contrarium citati. Nec probo quod ait *Navar. num. præced. allegatus*, nempe eſſe neceſſariam Pontificis licentiam, ut monaſterium his bonis uti valeat, ea convertendo in proprios uſus. Quippe ſicut nec indiget ea licentia, ut utatur legatis ſibi relictis, & aliis bonis, quæ habet, quamvis ſolum uſum facti illorum habeat, & dominium ſit apud Pontificem ſummum, ut probavimus *hoc lib.* ſuprà; ita nec ad utendum illis bonis, cum ſimiliter uſum & commoditatem illorum acquirat. Cui autem hæc bona acquirantur, quando hic tranſierat à monaſterio capaci ad hoc incapax, diximus ſuprà.